

1610 dolorem publicæ salutis studio compressit, sexusque imbecillitatem animi robore ac virtute superavit. Per omnes regni partes de mariti obitu nuntios misit, provinciarum urbiumque præfides ad munera custodiasque diligentius obeundas excitavit; ne quis Lutetiæ tumultus suboriretur, per urbis vicos militibus dispositis portisque occlusis, curavit. Insequenti vero ab obitu die coacto concilio (quod *Parlamentum* Galli vocant) Reginæ matri ob filium impuberem regni administratio ac tutela concredita est. Ludovicus XIII. summis cunctorum acclamationibus Galliæ Rex salutatus; incredibili applausu in regia sede (quam *Lectum justitiæ* appellant) locato, fidelitatis sacramentum a cunctis exhibitum. Principes regiæ sobolis, atque alii proceres, in Galliæ bonum conspiraturos, Henrici mortem ulturos, jurejurando interposito, paciscuntur. Henricus Rex defunctus egregia honoris præfatione a concilio Magni titulo decoratus est. His a Fuscareno legato per literas cognitis, ut bini oratores ad Ludovicum XIII. designarentur, qui & patris mortem dolerent, & illius in amplissimo regno successionem gratularentur, Senatus decrevit. Lecti sunt Andreas Guffonius, Augustinus Nanius, ambo equestris ordinis.

Regina Ludovici mater Gallici regni gubernacula suscepit.
Ludovicus xiiij. Galliarum Rex salutatur.

Henricus Rex magni titulo decoratus.

Andreas Guffonius, Augustinus Nanius, ad Ludovicum Regem oratores.

Parisiensis Senatus sententia de Henrici Regis interfessore.

Quæstio vero summa diligentia de Regis parricida Lutetiæ habebatur; neque an sponte vel missus tantum facinus patraisset, cognosci poterat. Erat parricida ex Angolismæ oppido, Franciscus nomine, qui doctoris insignibus, ut ajunt, Lutetiæ decoratus, septem antea annis Gallia digressus, Bruxellas migraverat, ibique uxorem sumpserat. Is quæstioni subiectus, atque acerrimis tormentis laniatus, quisnam parricidii auctor, an ab aliquo ad illud patrandum missus, ut fateretur nunquam adigi potuit, vel quod revera nullius impulsu, sponte sua tantum facinus aggressus esset, vel quod extrema quæque subire potius, quam consciorum nomina edere obstinato animo statuisset. A Parisiensi Senatu, ejusmodi sententia edita, damnatus est: cereo ardenti parricidæ manus, qua facinus perpetrarat, incenderetur: forcipibus candentibus, plumbo liquefacto in plagas infuso, dilaniaretur: vivus in partes quatuor, equis in diversa nitentibus, distraheretur: reliquæ flammis traherentur. Ante beatæ Mariæ virginis augusti templi fores deflexo

genu